

facienda, et super aliis mobilibus utrinque occupatis, praeter fructus praedictos, nullam ad praesens facimus, quoniam nobis de hujusmodi non liquet, sicut in terminis juris et justitiae relinquimus.

*Item*, laudamus et volumus ac decernimus ut pisani liceat terra marique negotiari, naves construere et habere, navigare ad Liburni portum adiutum, habere artes quascumque et negociationes exercere, etiam pannorum eujuscumque qualitatis, etiam serici, quemadmodum etiam ipsi florentini facere possunt. Nec propterea majoribus oneribus gravari debeant, quae florentini talia exercentes.

Pisanis etiam facultatem concedimus eligendi praetorem, qui in civilibus causis jus dicat in prima instantia, tantum causis appellationum magistratus per dominos florentinos mittendo reservatis; quae tantum praetoris electio per ipsos pisanos fieri debeat ex loco dominis florentinis non suspecto, cui quidem praetori in civilibus causis eam jurisdictionem competere declaramus in urbe et territorio pisaniorum, quam ante defectionem exercebat.

233. Et ut omni suspicione pisanos liberemus, arbitramur et laudamus, ut capitaneus per excelsam rempublicam florentinam in civitate pisaniorum iuridicendo in criminalibus preficitur, ubi de pena sanguinis, exilio, aut bonorum confiscatione civium pisaniorum tractari contigerit, procedere, judicare et exequi teneatur cum consilio assessoris, ex domino nostro eligendi, hoc modo videlicet quod nominatis per pisanos quinque jureconsultis praefati dominii nostri, unus ex eis qui nobis et successoribus nostris idoneus et magis sufficiens videatur, ad dictum capitaneum trasmittatur.

Addiscientes quod pro cautione et securitate pisaniorum in praemissis custodia fortificiorum dictae civitatis pisarum et locorum in territorio ejusdem quae per eos in praesentiarum aut ipsorum nomine teneatur, ipsis pisaniis relinquatur, ea tamen lege ut ex pisaniis custodes elegantur, vel aliunde ex personis quae dominis florentinis nequaquam fiat suspecte; quibus quidem custodibus, praetori et assessori de mercede et salario per dominos florentinos eo modo satisfieri debeat ex introitibus et redditibus pisani quo ante defectionem solvi consueverat, aut pro solutione usque ad summam consuetam sufficiens dictorum reddituum quantitas pisani assignari, cum mentis nostrae sit, ut dicta fortificia non majore numero personarum nec majore expensa quam ante defectionem custodiantur.

Et ut pisaniis magis caveamus, dicimus et laudamus, ut domini florentini eorum locorum for-

tilicia quae recuperarunt postquam pisani sub sola dicti serenissimi dominii protectione et defensione fuerunt, quae tam de indubitate pisarum territorio esse constiterit, demoliri facere teneantur, nisi ipsis pisaniis alter visum fuerit.

Hac tamen lege ut pisani adversus excelsam rempublicam florentinam et praesertim circa dicta fortificia per eos custodienda, nihil attentare aut moliri presumant, laudamus et arbitramur ut contra prefatam rempublicam quovis modo machinari non debeant.

In reliquis omnibus pristina florentinorum jura in diebus urbe pisarum et territorio illæsa et intacta relinquimus.

Nunc vero ad extinguendum bellum devenientes, laudamus et arbitramur quod tam per serenissimum Venetorum dominium, quam per excelsam rempublicam florentinam intra octo dierum spaciū ab armis cessari ubique, et ab offendendo utrumque desistere debeat; et subinde vigesima quinta die presentis mensis, quæ divi Marci evangelistæ dies futura est, quæcumque partium copiæ exercitus et auxilia decidere debeant, et ad propria reverti: quo ut melius et commodius facere possint, liber, tutus et securus per quæcumque loca redditus pateat.

Ipsum quoque serenissimum Venetorum dominium de civitate et quibuscumque locis pisarum, quæcumque sua presidia et equitum ac peditum copias cujusvis qualitatis et quantitatis dicto die sancti Marci deducat ac detrahat prout sua sponte obtulit, et terram ac castrum Bibiena et quemlibet alium locum ad dominos florentinos spectantem, quem hactenus bello cepisset, eadem die relaxari et restitui faciat, quemadmodum liberaliter se facturum affirmavit.

Venia Bibiensibus data prout concedendam esse arbitramur, si quid adversus excelsam rempublicam florentinam in ipsa Bibiena occupationis aut ante vel postea commissum arguerentur, seu argui possent.

Et pro expensis ab ipso illustrissimo domino Venetorum factis in hujusmodi bello, laudando et arbitrando declaramus excelsam rempublicam florentinam teneri ad dandum et solvendum praefato serenissimum Venetorum dominio ducatorum centum octaginta millia, in termino annorum duodecim, videlicet quilibet anno quindecim milia.

Et singulo anno teneri ad dandum fidejussionem idoneam, pro ea quantitate illo anno tantum persolvenda; et sic praefatos magnificos oratores et procuratores dictæ reipublicæ florentinae dicto nomine ad solvendum et fidejussores dandum, ut supra condemnamus.